

annuamus. Vestris igitur supplicacionibus inclinati omnes gracias et indulgencias a Romanis pontificibus patriarchis archiepiscopis et episcopis<sup>a)</sup> vobis ac domibus vestris rite concessas seu eciam concedendas intendimus et volumus per nostram dyoccesin favorabiliter conservare et ab omnibus nostris subditis precipimus inviolabiliter observari. Insuper omnibus Christi fidelibus, qui vestras ecclesias devote tam in missis quam in predicacionibus audiendis visitaverint et precipue in maioribus sollempnitatibus anni, videlicet nativitatibus domini resurrectionis ascensionis et penthecostes nec non Iohannis Baptiste et omnium sollempnitatum virginis gloriose ac omnium apostolorum et ewangelistarum atque doctorum, precipue gloriosi doctoris beati Augustini, et patronorum dictarum ecclesiarum vestrarum, de omnipotentis dei misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac inclite virginis Marie meritis et precibus confisi quadraginta dies indulgencie misericorditer relaxamus dantes vobis has nostras litteras sigillo nostro signatas in testimonium super eo. Datum Ziz anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XLIII<sup>o</sup> in vigilia exaltacionis sancte crucis, dummodo ad id consensus dyocesanorum accedat.

15

177.

*Johannes, Bischof von Naumburg, gestattet den Augustinern von Erfurt, Grimma und Neustadt a. d. Orla in seiner Diöcese zu predigen, Beichte zu hören, Bußen aufzuerlegen und Messen zu lesen, beståtigt alle ihnen verliehenen Gunst- und Indulgenzbrieife und ertheilt denjenigen, welche ihre Kirchen besuchen und denselben sich mildthätig erweisen, 40 Tage Ablaß. Zeitz, 1349 Jan. 25.*

20

*Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 3162. Fragment des Siegels des Bischofs an Pergamentstreifen.*

Iohannes dei gracia Nuwenburgensis ecclesie episcopus universis . . prepositis . . decanis . . archipresbyteris et ecclesiarum parrochialium rectoribus | nec non eorum vices gerentibus, ad quos presentes littere pervenerint, salutem in domino sempiternam. Cum fratres ordinis sancti | Augustini conventuum Erfordensis Grymmensis et Nove Civitatis quoad terminarios nostre Nuwenburgensis dyocesis nobis per suum superiorem et eius nuncios speciales presentatos in actibus predicacionis et confessionis, qui eis ex tenore suorum privilegiorum libere indulgentur, graciose per nostram dyoccesin duxerimus admittendos, vobis omnibus et singulis eosdem fratres, qui semper se predecessoribus nostris et nobis nec non et toti clero subiectos et obsequiosos pre ceteris exhibuisse dinoscuntur quosque ob<sup>a)</sup> hoc speciali favore prosequimur, affectuose recommendamus mandantes vobis omnibus et singulis in virtute sancte obediencie et sub pena rebellionis, ut fratres predictos in vestris parrochiis in actibus salubribus, predicacionibus videlicet faciendis, confessionibus audiendis et penitenciis iniungendis, casibus tamen dyocesanis<sup>b)</sup> locorum de iure vel consuetudine reservatis dumtaxat exceptis, nec non in missis suis legendis ac eciam petitionibus faciendis, cum ab eis requisiti fueritis, sine difficultate qualibet admittatis, scientes, quod si a quoquam vestrum in premissis in contrarium fuerit attemptatum,

176. a) et episcopis über der Zeile hinzugefügt.

177. a) Vor ob ist hoc durch Ausstreichen getilgt. b) dyocf.